



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Secvnda Aduentus, Euangeliu[m] Lu. 21. De signis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

ADVENTVS.

4

agnitionem Christi & ueros cultus exuscitent, & confirment aduersus scandala, hoc est, potentiam & auctoritatem aduersariorum.

DOMINICA SECUNDA AD-  
uentus, Euangeliū Luc. 21.

De signis.

**E**RVNT SIGNA IN SOLE ET luna & stellis, & in terris anxietas gentium per desperationem, resonante mari & fluctu, extabescentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ superuenient orbi terrarum, Nam uirtutes cœlorum mouebuntur, Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate & gloria magna. His autem fieri incipientibus, suspirate & attollite capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficum & omnes arbores, cum protrudunt iam gemmas, cernentes, ex uobis ipsis scitis, quod iam instet æstas. Ita & uos, cum uideritis hæc fieri, scitote quod instet regnum

B 4 Dei

DOMINICA II.

Dei. Amen dico uobis, non præteribit ætas hæc, antequam omnia facta fuerint. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

*Præsentis  
Euang.*

*continet  
duplicem*

*mat.  
riam.*

*Duo præ  
cepta*

*in deo  
iudicium*

*præsciri  
uoluit*

*rit.*

**C**ONCIO Christi miscet duas materias, prædictionem excidij Hierosolimæ, & calamitates postremi temporis mundi.

Recenset autem præcipuè has calamitates, tyrannides contra euangelium, sectas, idololatriam in ecclesia, regnorum casus, & mutationes, corporum cœlestium ruinas. Addit autem duo præcepta, alterum de temperantia & cura pietatis, alterum de oratione, & docet mitigari calamitates oratione. Addit & consolationem piorum.

**S**ECUNDO, Fuit ne opus aliqua futura præscire? Respondeo: Deus & iudicium futurum præsciri uoluit, & calamitates ecclesiæ in hac uita. Primum de iudicio, Quia cum differantur pœna & premia, præmonendi fuerunt homines de futuro iudicio, ne cogitarent mundum casu regi, & nullas esse scelerum pœnas, nulla præmia iustitiæ. Ergo ut sciamus Deo curæ esse humana, & metu pœnarum & expectatione premiorum exuscitemur ad obedientiam, hæc prædici necesse fuit.

Quare ab initio mundi extitit doctrina de nouissimo

ADVENTVS

S

uisimo iudicio, ut in prima Concione ad Cain. peccatum quiescet donec reuelabitur. Cum aut peccatum quiescet, significat futurum ut differantur poena, sed postea inquit, reuelabitur peccatum, id est, ostendetur ira Dei aduersus peccatum. Iam cum plurima peccata hic non reuelentur, non puniantur, necesse est aliud iudicium sequi, Et postea Enoch concionatus est, de nouissimo iudicio, ut scriptum est in Epistola Iudae: Veniet Dominus facere iudicium. Et deinde Propheeta, ut Esaias cap. ultimo. Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur, et uidebunt cadauera uirorum, qui preuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. Deinde Christus et Apostoli hanc doctrinam clarius tradiderunt.

Ab imi  
ho m  
di nota  
fuisse  
doctri  
na do  
nuis  
in e ho  
Enoch  
Esaias

Iam nos cogitatione iudicij ad timorem et fidem excitemus. Ideo enim praedictio diuinitus proposita est, et non fallit. Humanae mentes naturaliter auide sunt cognitionis futurorum, et Deus uult quaedam preuideri, uult nos extendere animos in agnitionem uenturarum rerum. Ideo res maximas et necessarias praedixit. Sed his neglectis humana curiositas quaerit leuia et inutilia.

Admo  
nito

**TERTIO**, Quare calamitates Ecclesiae et mundi praedictae sunt. *Causa*

1. Primum, ut sciamus non regi mundum *ca*

B S

ca  
nis ca  
lamita  
ta

## DOMINICA II.

su, non fieri Deo nesciente, quod hic iusti affliguntur.

2. Item si non essent prae dictae calamitates ecclesiae, dubitaremus an haec esset Ecclesia, quae est oppressa, praesertim cum ueniente Messia omnes laeta expectarent.

3. Item de erroribus fuerunt edenda praedictiones, ut eos caueremus, ut cum Paulus ait: Prohibitionem coniugij esse doctrinam Demoniorum, seu cum Christus ait: In Templo fore desolationem abominandam.

4. Item sanctos oportuit praemoneri, quod finis miseriarum futurus sit, ne desperarent.

5. Item praedictiones de Monarchijs sunt testimonia, quae probant doctrinam huius populi diuinam esse. Item admonent sanctos de tempore aduentus utriusque.

Has causas praedictionum consideremus, & nostros animos cogitatione certitudinis earum confirmemus, ut repugnemus impijs, & expectemus liberationem, quam ipse mutationes regnorum significant non procul abesse. Daniel testatur destructa quarta Monarchia uenturum iudicium. Ezechiel testatur paulo ante extremum iudicium Gog & Magog peruastaturos esse ecclesiam, id est gentes Scythicas, quod iam manifeste faciunt Turcae. & celeritas cursus eorum, ac magnitudo successuum significat accelerare nouissimum diem. Et pene completum est tempus.

Gog  
&  
Magog

## ADVENTVS.

6

tempus predictum ab **Helia**, sex millia mundus, & postea destructio.

Sicut igitur **Christus** de **Vere** ait coniecturam fieri ex sicu. Ita collatione **Prophetarum** nos admonemus de fine mundi, seu de nouissimo iudicio. Hæc de predictionibus utile est cogitare, ut animi præparentur, confirmentur in fide, excitentur ad timorem & obedientiam.

**Q**UARTO, Præcepta etiam considerentur. Significat **Christus** futurum, ut postremo tempore crescant, luxus, superbia & auaritia. Id fieri in conspectu est. Ideo præmonet **Christus** inquiens: Cauete ne corda uestra grauentur crapula, ebrietate & curis uictus.

Duo p  
capitula  
f

Secundum præceptum de oratione, dulcissimam consolationem continet, Quia testatur mitigari calamitates oratione. Sed meminerimus non posse **Deum** inuocari mala conscientia. Ideo agenda est poenitentia, & urgendus cursus bonæ conscientie in fide, ne opprimamur ingentibus ruinis postremi temporis, præsertim cum uideamus iam in conspectu grassantes **Gog** & **Magog**, qui delere ecclesiam funditus conantur. Aduersus hos dimicemus oratione.

11

DOMI